BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

L 6

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

Collegij Montis Regalis Soc. Jesu C.J.

DE IVSTITIA ET IVRE LIBRI DECEM,

Reuerendi P. F. Dominici Soto, Segobienſis, Ord. Præd. Theologi præclariſs.

Et CAESAREAE MAIESTATIS CAROLI V. Imperatoris quondam à ſacris confeſsionis.

Libri profectò eruditiſſimi, nunc autem poſtremò poſt omnes omnium editiones, ſummo ſtudio, fide, exactaq; diligentia recogniti. Quibus recens acceſſit Liber Octauus, de Iuramento, & adiuratione. Septimò nimirum in Sextum reiecto.

Cum gemino Indice, altero Quæſtionum & Articulorum, altero Rerum & Sententiarum inſignium, eoq; longè locupletiſſimo.

Biblioteca
Di Monreale
Del Collegio
BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

VENETIIS,
Apud Florauantem à Prato. M D LXXXIIII.

DE IVSTITIA ET IVRE

LIBRI DECEM,

Reuerendi P. F. Dominici Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclarissimi.

Et CAESAREAE MAIESTATIS CAROLI V. Imperatoris quondam à sacris confessionis.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

ADMODVM REVER. DOM.
D. CHRISTOPHORO MEDICES,
NOBILI BRIXIENSI,
ARCHIPRESBYTERO GAVARDI,
DOMINO MEO COLENDISSIMO.

CVM multorum libros peruoluerem (Admodum Reuerende mi Domine Christophore) & morem quem vel auctores, vel eorundem impressores, in huiuscemodi libris edendis obseruant conspicerem, nullum profecto inueni quin sub alicuius nobilissimi, atque doctissimi viri nomine fuerit in lucem productus. Quemadmodum etenim qui in agone contendit nobiliorem ducem quem nouit, in vita sua defensionem, ne vi à multis opprimatur aduocat; sic qui opus aliquod in lucem prodit, & si non nisi à proterais impugnari possit, alicui tamen doctissimo viro, illud committit, non quia solus nequeat ipsum

tueri, sed quia cum altero potest eos vel omnino confundere, vel penitus ora concludere. Cum igitur præclarissimum opus Reuer. P. F. Dominici Soto Segobiensis, quod de Iustitia inscribitur & Iure, auro quidem purissimo pretiosius, & micanti carbunculo splendidius, rursus decreuissem imprimere, vt laudabilem omnium morem prosequerer sub doctissimi, & nobilissimi Domini Christophori Medices Domini mei colendissimi, tutela imprimendum curaui. Cui etenim alio librum hunc inscribere debebam? Ad quem alium dirigere? Quis erat tibi præferendus? Quis anteponendus? Christophoro namque, liber qui Christum fert; & Christophoro Medices liber qui animabus medetur erat donandus. Nobilissimo viro qui de nobilissima agit materia, & viro doctissimo, qui profundissimas ac difficillimas soluit quæstiones, codex erat inscribendus. Archipresbytero religiosissimo, opus quod de conscientijs expurgandis tractat, erat mittendum, & demum patri (vt aiunt) spirituali, noua, & Christiana quædam philosophia erat tribuenda, vt eam filios suos, & filias doceret, vt per eam populos instrueret; vt ipsa duce profugus ad patriam reuocetur; cecus ad lucem veram quæ Christus est reuerteretur, & impius ex hostis antiqui manibus excipiatur. Præterea opus hoc præclarum ad te dirigere statui, quoniam si (vt Socrates aiebat) in bello ferrum auro præstat in vita tamen, hoc est tempore pacis, eruditio præstat diuitijs;

Quare

Quare cum non me lateat, immo nec aliquem qui historiarum lectioni se dederit lateat, maiores tuos Atauos scilicet ac Proauos, locis ferè omnibus, ac oppidis, quæ Salodiensem lacum circunstant, dominatos fuisse, & summa cum prudentia, atque iustitia eas optime rexisse, & præterea in bello semper victores extitisse; modo in vita, hoc est in summa tranquillitate, non ferrum vel aurum, sed librum eruditissimum mitto, & quemadmodum maiores tui, milites quidem strenuissimi, bellorum tempore, immortalem gloriam sunt adepti, tu tempore pacis religioni addictus, & virtutibus insistens, maiorem consequaris honorem, & quod ipsi ensibus & gladijs contra visibiles hostes fortiter fecerunt, tu lingua, doctrina, & sanctitate inuisibiles hostes, (prout etiam fecisti & facis) eijcias indefesse. Hoc etiam addere, non superuacaneum erit. Quod si delectationes hæ quæ in ratione sunt, eas omnes quæ ad sensum spectant, dubio procul excedunt, vt ex laboribus meis maximam quandã sentias delectationem librum hunc tibi donare constitui. Namque vt Cicero inquit, cæteræ nec temporum sunt, neque ætatum omnium, nec locorum: Hæc verò studia, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis refugium ac solatium præbent. Delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Et eo libentius hoc facio quoniam librum, non de naturis creatarum rerum tra-

& tantem, non vanitates continentem, non de nominibus, vel (ut aiunt) de lana caprina disputantem, sed qui de conscientijs regendis, dirigendis, illuminandisq; discutientem, & tibi religiosissimo viro, maximè conuenientem; in lucem mandaui. Accipe igitur munus hoc paruum, & pro tantis sat erit solus amor, rogans tamen vt in tuis ad Deum precibus, me commendatum facias. Vale. Venetijs 16. Kalendas Iulij. 1584.

Dominationis tuæ

Deditissimus seruus

Florauans a Prato.

BIBLIOTECA COMUNALE DI SIENNA